



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 25. Papa Urbanus Genuam venit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

§. XXV.

Sæcul. XIV.
A. C. 1385.*Papa Urbanus Genuam venit.*

Urbanus in arce Nuceria continenter obsessus denique 8 Aug. inde exiit ope Raymundi Belsiani, qui rursus adduxerat militarem Britonum manum, quam Clementi parentium: venitque simul Vir belli artibus clarissimus Lotherus Suevus. Hi Duces, inquam, ex arce parum fortiter oppugnata Urbanum, & Curiam ejus extraxere. Raymundus eos duxit per montes prope Salernum altissimos, ac pæne invios in transalpinam planitiem, hostesque magno assidue numero sequentes tam strenue per Germanos suos profligavit, ut multi occumberent, reliqui fuga dispersi postero die Neapolim advenirent.

Th. Niem.
c. 50. 54.

Hoc in itinere Urbanus de magnis opibus asportatis multos ornatus gemmeos, aureosque, ac pretiosam supellectilem amisit: quia his onerata jumenta non pauca concidebant in montibus, nec ea sublevandi spatium permittebat hostium insectatio. Papa secum etiam ducebat captivos suos, scilicet sex Cardinales, & Aquilensem Episcopum, prope se vectos equis, & optima semper custodia cinctos. Sed ita properare, ut volebat Papa, non poterat Episcopus ignavo insidens equo,

Th. Niem.
c. 56.

Sæcul. XIV. ac per tormenta enervatus. Papa eum
A. C 1385. dedita opera, ut se subduceret, cunctari
 putans adeo furebat, ut eundem per Cle-
 mentis milites perimi juberet: qui vul-
 neribus confectum, & inhumatum relin-
 quebant. Qua de re Niemius ait: Haud
 memini legisse me unquam, Papam cu-
 jusquam necem imperando non fieri ad
 sacra munia obeunda inhabilem. Quasi
 vero censura ecclesiastica plus timenda
 esset, quam homicidium, cui illa tan-
 tum accedit.

6. 55.

Quamdiu durabat Nuceriae obsidio,
 versantes Neapoli Cardinales, cæteros-
 que de Papæ Curia non illinc abire terra
 vel mari sinebat Rex Carolus cogitans
 arcem Nucerianam facile a suis expugna-
 tum iri; & ita Papam, omnemque comi-
 tatum ejus certo in potestatem venturos
 suam; tum Cardinales Neapoli agentes
 novum fortasse Papam electuros, qui ca-
 reret Curia, si hujus membra inter obsi-
 dionem discederent. Ejusdem rei con-
 sideratio Urbanum urgebat, ut Nuceria
 demigraret. Quod molestissime ferebant
 Rex, & Cardinales Neapoli commoran-
 tes: prævidebant enim Papam deinde
 sibi, quam posset, ægerrime facturum.
 Tunc membris Romanæ Curiae dari cœ-
 pta est facultas relinquendi Neapolim: ac
 Theodoricus Niemius 10 Augusti hinc
 abiit.

Cum

Cum Urbanus prope Salernum confes-
 diffet, Galli ex militari ejus præsidio de-
 liberabant, an eum Clementi traderent:
 quem agnoscebant Papam. Grandem ab
 isto pecuniam sperabant: nec Urbanum
 solvendo æri promisso parem videbant.
 At Raymundus Belsianus copiis omnibus
 imperans Gallos levatos metu cum Ita-
 lis, ac Germanis in fide erga Urbanum
 continuit: qui invenit rationem repræ-
 sentandi undecies mille florenos aureos,
 & viginti sex millium cautiones fecit.
 Hujus pensionis causa comminuere vasa
 cogebatur, argento signato carens. Cum
 interim promissæ triremes Genuensium
 advenissent, in Siciliam, ubi agnosceba-
 tur Papa, transit. Messanæ publice le-
 gendas curavit litteras anathematis in Ca-
 rolum de Pace contorti: Panormique in-
 structo cibariis comitatu suo, qui his ma-
 gnopere indigebat, Genuam mari profe-
 ctus die sabbati 23 Sept. advenit.

§. XXVI.

Urbanus creat Cardinales.

Ibi die lunæ 16 Octobris multorum Car-
 dinalium creationem denunciavit, pro-
 babiliter postquam comperit recusatio-
 nem Præfulum Germaniæ, quibus hanc
 obtulerat dignitatem. Recens delecti
 plerique fuere Neapolitani: & ecce no-
 tiores!

Cc 5

Sæcul. XIV.
 A. C. 1385.

Rayn. n. 7.
 ex Gobel.

Th. Niem.
 c. 56.

Rayn. 1385.
 n. 3.
 Sup. I. 21.

Ughel. to. 3.
 p. 208.